

in homine receptum aut exterius applicatum ac paratum, potentiam agendi proximam una cum gratia excitante constituit.

Ad Conf. R. T. M. Quia gratia sufficiens *per se* et *in recto* dicit auxilium divinum potens dare et inclinans ad consensum; *per accidens* vero et *in obliquo* tantum negationem consensus connotat, quam voluntas libere ponit. Unde *N. min.* *Disparitas* est: quia enim in hominis potestate est, libere consensus ponere *negationi* contradictorium, simpliciter et antecedenter impossibile non est cum gratia pure sufficiente operari, sed tantum consequenter ad suppositam liberam consensus *negationem*: *prædeterminatio physica* autem ad actum salutarem in hominis potestate nullo modo est; nempe non *physice*, quia illa a solo Deo provenit ac dependet; neque *moraliter*, quia nec cooperatio cum gratia sufficiente, nec resistantia, ad quam datur vel negatur *prædeterminatio* actus secundi, penes hominem sine alia præmotione esse potest.

332. Obj. contr. 3^{um}. Inter gratiam *sufficientem* aut *efficacem* vulgaris hæc est distinctio, 1^o. quod sufficiens det posse, efficax autem det velle et operari: 2^o. quod illa includat auxilia excitantia, hæc vero adjuvantia seu cooperantia; ergo gratia sufficiens non consistit physice in illo aggregato.

R. D. M. Vulgaris hæc est distinctio sano modo intellecta, et sensu nobis non opposito. *C.* quomodocumque intellecta et sensu excludente a gratia sufficiente potestatem ac principia volendi ac operandi *N.* Gratia *sufficiens* non tantum dat posse, sed etiam *velle* et *operari* hoc sensu; tum quod, licet in effectu non conferat velle et operari, tamen hæc constitutus in potestate ac voluntate operantis; tum quod per se ipsam moveat, et ex intentione Dei detur ad volitionem et operationem salutarem: quia tamen in sensu consequente et ex culpa voluntatis resistantis non sequitur velle ac operari, gratia vero *efficax* dat ita posse, ut simul *infallibiliter* sequatur velle et operari; inde fit, quod gratia sufficiens dicatur unice dare posse, efficax autem præter posse etiam velle et operari.

Similiter quia auxilium *adjuvans* et *cooperans* potest spectari per modum principii vel per modum concursus ac *influxus*, gratia sufficiens præter auxilia excitantia etiam includit auxilium adjuvans hoc sensu, quatenus ad proximam sufficientiam habendam imprimis requiritur auxilium adjuvans per modum *principii* sumptum intrinsece vel extrinsece adesse; deinde etiam exigitur, idem auxilium adjuvans per modum *influxus* sumptum ex parte Dei, proxime esse paratum et oblatum ita, ut voluntate per gratiam sufficientem se movente et terminante se ad operationem, statim et indissimiliter absque novo actu intermedio comitetur concursus et *influxus* gratiae adjuvantis, physice cooperando ipsam voluntatis determinationem.

Quia tamen auxilium *adjuvans* communius sonat ipsum concursum, quem gratia efficax dumtaxat dicit et habet: hinc gratia *sufficiens* usitatiore pharsi etiam dicitur includere tantum auxilia non tam excitantia, quam præventionia, efficax autem adjuvantia et cooperantia.

Inst. Licet ad operandum salutariter requiratur *prædefinitio* aut etiam *prædestinatio*, gratia tamen sufficiens neutram includere debet; ergo nec alia necessaria involvere debet.

R. T. A. N. Cons. *Disparitas* est; quia *prædefinitio* et *prædestinatio* non

pertinet ad auxilia necessaria ad operandum, sed ad *modum* dumtaxat, quo Deus tanquam auctor gratiae efficit vel providet alia auxilia; præterea notandum, gratiam sufficientem, etiamsi non procedat ex voluntate Dei *absolute prædefinitente* actum hominis, debere esse talem, qualem hactenus descripsimus, ut vere ac proxime sufficiens dici queat: cui adde, quod, quoties actus, ad quèm datur gratia sufficiens, non est *prædefinitus*, id aliqua ex parte ipsi homini possit attribui.

Quæres I. Undenam gratia sufficiens habeat quod sit pure sufficiens, seu inefficax aut carens effectu?

333. R. I. Gratia sufficiens non est *de se inefficax*.

Prob. Si gratia sufficiens esset *de se inefficax*, vel intelligendum hoc esset de inefficacia in actu primo, vel de inefficacia in actu secundo: neutro modo intelligi potest; ergo.

Prob. 1^a. p. min. Inefficacia *in actu primo* idem est, quod insufficientia, sicut efficacia in actu primo idem est ac sufficientia; quia auxilium efficax *in actu primo* dicitur id, quod *de se* potens est ad efficiendum actum, etsi reipsa effectus non sequatur: ergo si gratia supponatur sufficiens, non potest *de se esse inefficax in actu primo*; quia gratia sufficiens nomine significatur auxilium *de se* potens ad efficiendum actum, licet hic de facto non sequatur; unde et a *Patribus* saepè vocatur efficax, utique *in actu primo*.

Prob. 2^a. p. min. Inefficacia *in actu secundo* consistit solum in eo, quod auxilium actu non operetur; ergo si gratia sufficiens *de se* esset hoc sensu inefficax, per se ex ipso auxilio proveniret, quod actu non operaretur. Atqui hoc dici nequit; nam gratia, sicut alia omnis causa sufficiens *proxima* non potest cessare ab operatione actuali, nisi vel propter negatum Dei concursum, vel propter libertatem causæ: sed ex-neutro capite dici potest, quod *per se* ex ipso auxilio proveniret *carentia operationis*; quia si Deus negat concursum, *carentia* illa Deo ipsi tribuitur, non autem inefficaciæ virtutis proximæ; si autem propter libertatem agere potentis deficiat operatio, cum libertas non conveniat auxilio *de se*, sed ratione subjecti, in quo est, etiam defectus operationis non convenit illi *de se*, sed ex subjecto, nempe libera voluntate, ac libertatis abusu.

334. R. II. Inefficacia gratiae sufficientis nullo modo refundi potest in Deum.

Prob. Deus ex 1. ad Tim. 2. v. 4. *omnes homines vult salvos fieri*; et ex Ezech. 18. ac 33. non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur et vivat. Sed neutra voluntas divina foret seria ac vera, si Deus esset causa et radix *inefficacie*, aut daret gratiam *de se inefficacem*; quia ejusmodi gratia non daret veram ac propriam potentiam ad salutem, vitam et conversionem; Deus autem inefficaciæ auxiliū sufficientis causans vel procurans fingeret dumtaxat se hominis salutem, vitam et conversionem velle ac desiderare; ergo.

Conf. 1. Dogma fidei est, quod Deus neminem deserat, nisi prius ab ipso deseratur; quod quamvis a CONCILIO TRID. Sess. 6. c. 41. enuntietur de justificatis, tamen intelligitur etiam de peccatoribus ac hominibus omnibus, ut

patet ex verbis AUG. serm. 88. de temp. (al. in app. serm. 22. n. 2.), PROSPERI ad objectiones tum Gall. tum Vincent. utrobique art. 7., FULGENTII L. 4. ad Monim. c. 13., ANSELMI L. de Concord. præscient., etc. Sed si gratiæ sufficientis inefficacia foret a Deo, ipse prius hominem desereret, quam deseratur ab eo; ergo.

Conf. 2. Resistere divine inspirationi ac divino auxilio sufficienti, illudque reddere inefficax in materia *præcepti* non fit sine peccato vel aversione hominis a Deo, in materia *consilii* autem non fit sine defectu quodam et imperfectione positiva; ut patet ex omnibus Scripturæ locis, quibus reprehenduntur, dicuntur inexcusabiles, aut minis ac pœnis terroristur, qui Dei vocationem abjiciunt, et gratiam faciunt carere effectu: sed peccatum et aversio hominis a Deo, aut defectus et imperfectio positiva non potest tribui Deo tanquam auctori, ut est de fide; ergo.

335. R. III. Inefficacia gratiæ sufficientis primo et unice tribuenda est voluntati humanae.

Prob. Oseea 13. 9. *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* S. AUG. L. 83. QQ. q. 68. n. 5. *Nec illi debent sibi tribuere qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate.* Item L. 2. de pecc. mer. c. 17. CONC. ARAUS. II. can. 23. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet.* Ex his enim manifeste inefficacia auxilii sufficientis homini adscripta perspicitur.

Conf. Nulla causa creata, v. g. dæmon, cupiditas, suasio hominis vel alia similis cogit, aut necessitat ad resistendum gratiæ sufficienti; Deus etiam nec vult, nec potest necessitatem inferre salvo humano operandi modo. Præterea vero *auxilium sufficienti* de se est potens ad effectum præstandum in iis etiam circumstantiis loci, temporis ac temptationis, in quibus datur; ergo, quod homo resistat gratiæ sufficienti, eamque reddit inefficacem, illi soli tribuendum est, ac unice provenit a libertate voluntatis humanae.

QUERES II. *An gratia sufficienti debeat aliquando efficere aliquos actus, saltem faciliores, sine gratia efficaci?*

Nota. Inter Jansenii argumenta contra gratiam sufficientem, et hoc numeratur; quod res monstrum simillima sit talis gratia, quæ ex una parte dicatur *sufficienti*, ex altera autem, quamvis pene infinitis hominibus data sit, aut detur, nunquam tamen a mundi exordio obtinuerit, aut ad finem mundi usque obtentura sit suum effectum. Thomassinus autem, Cardin. du Plessis, Tournely, aliique docent, gratiam sufficientem nonnunquam sine auxilio efficaci producere actus quosdam faciliores, difficiliores autem nunquam sine auxilio *de se* efficaci efficere, sed in his sufficere duntaxat ad orationem, qua impetratur uberioris Dei auxilium præveniens, per quod difficiliora fiant.

336. R. I. Si gratia sufficienti spectetur *præcisive*, potest nonnunquam efficere actum; si *positive*, semper efficere actum; si *negative*, nunquam efficere actum.

Prob. 1^a. p. Gratia *præcisive* sufficienti est gratia prout opposita insufficienti atque efficax in actu primo: sed talis nonnunquam fit etiam in actu secundo efficax, seu conjungitur cum effectu; quia juxta celebrem AUG. sententiam L. de Civ. c. 6. eadem gratia in uno homine obtinet suum effectum, non autem in altero, quamvis quoad corpus et animum æqualiter disposito; ergo gratia *præcisive* sufficienti nonnunquam conjungitur cum effectu.

Prob. 2^a. p. Gratia *positive* sufficienti intelligitur esse eadem cum efficaci in actu secundo: sed efficax in actu secundo debet semper esse conjuncta cum effectu; ergo.

Prob. 3^a. p. Gratiæ *negative* seu pure sufficienti est, quæ conjuncta est cum parentia effectus, seu re ipsa frustratur effectu: sed per se notum est, quod gratia conjuncta cum effectus parentia nunquam efficiat actum; ergo. Inde

Collige, Jansenii admirationem vel aequivocationem ortam esse ex eo, quod cederet gratiam sufficientem a Catholicis assertam, habere *ex se* et antecedenter rationem *pure* sufficientis, quasi nimurum ea ex natura sua habeat, nunquam cum effectu conjungi; quod tamen sicut negatur a Thomistis, aliquis gratiæ de se efficacis assertoribus, sic multo magis nostræ sententiae non convenit, in qua gratia sufficienti ac efficacis *entitative* est eadem, denominatio autem hec distincta ipsi gratiæ extrinseca; quarum illa *pure* sufficientis desumitur ab actuali resistentia liberi arbitrii, haec efficacis ex eo, quod conferatur sub præscientia aut etiam efficaci intentione consensus. Quid autem hic *monstro* simile est, quod ex supposito, quia homines ab initio mundi usque ad ejus finem sæpe peccaverint ac peccent, atque hinc innumeris Dei gratiis resistunt, omnes illæ gratiæ careant effectu ac *pure sufficientes* maneant? Hoc enim aliud non probat, nisi multitudinem peccatorum, ac rebellium Deo et stultorum infinitum numerum.

337. R. II. Opinio illa *Catholicorum*, præterquam quod supponat falsum de gratia per se efficaci ad difficiliora, non satis distinguit gratiæ conceptum.

Prob. *Imprimis* non distinguit gratiam *remote* ac *proxime* sufficientem; quia respectu faciliorum foret proxime sufficienti, respectu difficiliorum autem remote tantum sufficienter. *Deinde* nec gratiam sufficientem ab efficaci discernit; quia respectu faciliorum foret efficax et sufficienti, respectu difficiliorum nec efficax, nec vere ac proxime sufficienti. *Denique* nec sensum de gratia satis explicat.

Si enim sensus sit, gratiam vere sufficientem ad effectum completem et principaliter intentum, quantumvis hic non obtineatur, propterea non manere prorsus inefficacem ac inutilem, quia aliquando alios *effectus faciliiores*, qui sunt dispositio actus completi, obtinet; conceditur hoc facile ab omnibus, quia gratia *pure* sufficienti respectu unius termini potest esse *efficax* respectu alterius, qui ad priorem disponit.

Si autem sensus sit, gratiam sufficientem ac efficientem illum effectum facilem, non esse respectu ejusdem gratiam efficacem, negatur ab omnibus; quia quantumvis dissentiant inter se Theologi de gratiæ efficacis constitutivo, in eo tamen conspirant, quod auxilium *efficiens* aliquem effectum probetur hoc ipso a posteriori esse gratia efficax respectu illius effectus, licet respectu alterius possit esse inefficax et *pure* sufficienti.

338. *Observa*, quod Aug. L. de Nat. et Gr. c. 43. dicat : *Non Deus impossibilia jubet : sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis*. Item quod ibid. c. 69. scribat : *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus* : Denique quod sacri Oratores hortentur, et fideles soleant orare uberioris Dei auxilium in difficultibus ; hæc, inquam, non probant, quod gratia illa ad possibilia et facilitata non sit efficax, uberior autem auxilium, quod ad difficultiora petitur, sit de se efficax, et quod sufficiens omnis gratia in facilibus plerumque sortiatur effectum, in difficultioribus autem tantum sit remote sufficiens ; quæ omnia tamen opinio illa asserit.

Sed duntaxat ostendunt, nostram obligationem esse, ut cooperemur gratiæ praesenti, quam hic et nunc aut remote aut proxime sufficientem pro actu completo habemus, atque hinc vel effectum salutarem continuo præstemus, vel, si difficultior sit, uberior auxilium postulemus ; in quo nihil nobis contrarium dicitur, cum illam divisionem gratiæ præmisserimus, et omnino etiam asseramus, gratiam proxime sufficientem ad unum actum posse esse insufficientem ad alium, et tunc petendam esse gratiam ampliorem, ut proxime possit superari illa vel impossibilitas, vel difficultas.

ARTICULUS II.

AN IN STATU PRÆSENTI DETUR GRATIA PURE SUFFICIENS?

339. *Nota*, Lutherum et Calvinum in statu naturæ lapsæ solam agnovisse gratiam efficacem ac necessitantem, liquet ex num. 201. Eodem errore rigidiiores eorum asseclas involvi ostendunt tum sparsa in hunc sensum a variis dogmata, tum Synodus Dordracena. A simili errore non discessit Jansenius, quantumvis duplice illo tum potentiae, tum gratiæ genere Catholicis fucum facere laboraverit. In ejus enim systemate utraque gratia est efficax, et neutri resistitur.

Nam si gratia magna est, et superat concupiscentiam, nunquam illi resistitur ; quia effectum invincibilem infert : si autem est parva, neque illi etiam resistitur ; tum quia infallibiliter obtinet omnem illum effectum, licet imperfectum, ad quem in illis circumstantiis concupiscentiae superioris vires habet : tum quia, etsi in hoc casu impediatur a concupiscentia, ne majorem et perfectum effectum obtineat, tamen hoc impedimentum ab hominis arbitrio non pendet, sed a defectu virum in parva gratia, ut Jansen. L. 3. de Gr. Chr. c. 13. docet; ideoque nec ab arbitrio pendet illa resistantia, ac consequenter nec ab homine illi gratiæ resistitur : resistere enim in moralibus nihil aliud est, ac frustrare causam eo effectu, quem in his circumstantiis habere potest.

Porro ab eodem negari omnem in hoc statu gratiam, quæ sit pure simul ac vere sufficiens, patet ex L. 4. de Gr. Chr. c. 10 ubi, *Hinc claret, inquit, cur Augustinus omnem omnino gratiam pure sufficientem auferat. Ratio perspicua est, quia cum ei nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alterante delectationum fluctu in medio remanebitur. Sin*

autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur ; quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est. Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem sequi possit, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Hunc Magistrorum sensum sequuntur plerique Discipuli, maxime Quesnellus.

340. *Dico*. In statu naturæ lapsæ datur auxilium vere et pure tamen sufficiens, seu quod perfectam quidem, completam et relativam potentiam bene agendi tribuat, careat tamen effectu. Est de fide.

Prob. AUCTORITATE. I. SCRIPTURÆ. Textus alii aperte de ejusmodi gratia loquuntur. Act. 7. v. 51. Dura cervice et incircumcisio cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. Item 1. ad Thess. 3. v. 19. Nolite Spiritum extinguere. Et 2. ad Cor. 6. v. 1. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Denique Matth. 11. v. 21. Væ tibi Corozain, vae tibi Bethsaïda : quia si in Tyro et Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pénitentiam egissent.

Alii sub allegoria idem enuntiant. Proverb. 1. v. 24. Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret : despexitis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Isa. 63. v. 2. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum. Et c. 5. v. 3. Nunc ergo habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei ? an quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas. Matth. 23. v. 37. Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? Jam vero, tum ipse sensus et constans Patrum et Conciliorum interpretatio, tum manifesta ratio docet, sermonem hic esse de auxiliis internis ac sufficientiam ad agendum præbentibus, quin tamen ea conjuncta fuerint cum actu ; unde gratias vere et pure sufficientes assertas liquet.

II. CONCILIORUM. ARAUS. II. CAN. 23, inquit, secundum fidem Catholicae credimus, quod, accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, si labore fideliter voluerint, adimplere. LATERAN. in cap. Firmiter, de SS. Trinitate : Si post susceptionem Baptismi quispiam relapsus fuerit in peccatum, per veram pénitentiam potest semper reparari. TRID. Sess. 6. c. 15. docet, omnes, qui lethalia peccata committunt, a regno Dei excludi, mox subjungens : A quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt. Ex quibus sic arguitur : Gratia vere sufficiens est, cum qua quis potest implere pertinentia ad salutem, post peccatum reparari per pénitentiam, ante peccatum ab eo abstinere : sed hæc datur omnibus, quin tamen semper sequatur impletio, reparatio aut abstinentia tanquam effectus ; ergo.

III. PONTIFICUM. PIUS V. damnavit in Baio prop. 54. : Definitiva hæc sententia : Deum homini nihil præcepisse impossibile, falso tribuitur Augustino, cum Pelagiis sit. INNOCENTIUS X. hanc Jansenii 2. : Interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. CLEMENS XI. præter prop. 3. 4. et 5. cum Baiana consentientes, præter 10. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. idem, quod Janseniana, enuntiantes ; in Quesnello damnavit etiam hanc prop. 9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam